



Gisbertus Vtricensis natione Batauus natus est anno circiter 1507. Is post prima literarum rudimenta in patria foeliciter percepta sese in Italiam contulit, atq; ibidem linguarum studio, Philosophiæ, & Medicinæ diligenter incubuit. In ijs quoque adeò profecit, ut omnium uotis Medicinæ Doctor creatus fuerit. Is postea in patriam redijt, & magna laude Dauentriensem celebrem scholam Rector aliquandiu administrauit. Postea quoque Coloniam peruenit, et ibidem Græcas & Latinas literas in academia magna gloria docuit. Is inter alia in Ouidij Methamorphosin annotationes scripsit, atque Rhetoricam ad Herennium,

Plautum, & Valle Elegantias suis scholijs illustrauit. Plutarchi etiam quædam moralia ex Græco transtulit, atque multa alia huiusmodi præstitit, quibus rem literariam plurimùm iuuare conatus est. Præterea Philippus Melanchton, cum anno 1542 apud Hermannum Archipræsulem Bonnæ esset, hunc plurimùm amauit, & inter amicos coluit. Cum hoc modo Gisbertus libris inhæretet, immatura morte anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Coloniae obiit, atq; (cum Lutheranus uideretur) Bonnam translatus, ibidē honorificè sepultus fuit. Anon.